



Boletín Oficial Eclesiástico

DEL

OBISPADO DE MENORCA.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII

EPISTOLA ENCYCLICA

VENERABILIBVS FRATRIBVS

PATRIARCHIS, PRIMATIBVS, ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS

ALISQVE LOCORVM ORDINARIIS

PACEM ET COMMVNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE HABENTIBVS

LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDIXTIONEM

Divinum illud munus quod humani generis causâ a Patre acceptum Iesus Christus sanctissime obiit, sicut eo tanquam ad ultimum spectat, ut homines vitae compotes fiant in sempiterna gloria beatæ, ita huc proxime attinet per sæculi cursum, ut divinæ gratiæ habeant colantque vitam, quæ tandem in vitam floreat cælestem. Quamobrem omnes ad unum homines cuiusvis nationis et linguæ

Redemptor ipse invitare ad sinum Ecclesiae suae summa benignitate non cessat: *Venite ad me omnes; Ego sum vita; Ego sum pastor bonus*. Hic tamen, secundum altissima quaedam consilia, eiusmodi munus voluit quidem per se in terris usquequaque conficere et explere; verum quod ipse traditum a Patre habuerat, idem Spiritui Sancto tradidit perficiendum. Atque iucunda memoratu ea sunt quae Christus, paulo ante quam terras relinqueret, in discipulorum coetu affirmavit: *Expedit vobis ut ego vadam: si enim non abiero Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos* (1). Haec enim affirmans, causam discessus sui reditusque ad Patrem eam potissimum attulit, utilitatem ipsis alumnis suis profecto accessuram ab adventu Spiritus Sancti: quem quidem una monstravit, a se aequae mitti atque adeo procedere sicut a Patre, eundemque fore qui opus a semetipso in mortali vita exactum, deprecator, consolator, praeceptor, absolveret. Multiplicem nempe virtuti huiusce Spiritus, qui in procreatione mundi *ornavit caelos* (2) et *replevit orbem terrarum* (3), in eiusdem redemptione perfectio operis erat providentissime reservata.—Iamvero Christi Servatoris, qui princeps pastorum est et episcopus animarum nostrarum, exempla Nos imitari, ipso opitulante, continentur studuimus; religiose insistentes idem ipsius munus, Apostolis creditum in primisque Petro, *cuius etiam dignitas in indigno herede non deficit* (4). Hoc adducti consilio, quaecumque in perfunctione iam diuturna summi pontificatus aggressi sumus instandoque persequimur, ea conspirare volumus ad duo praecipue. Primum, ad rationem vitae christianae in societate civili et domestica, in principibus et in populis instaurandam; propterea quod nequaquam nisi a Christo vera in omnes profluat vita. Tum ad eorum fovendam reconciliationem qui ab Ecclesia catholica vel fide vel obsequio dissident; quum haec eiusdem Christi certissima sit voluntas, ut ii omnes in unico Ovili suo sub Pastore uno censeantur. Nunc autem, quum humani exitus adventantem diem conspiciamus, omnino perinovemur animo ut Apostolatus Nostri operam, qualemcumque adhuc deduximus, Spiritui Sancto, qui Amor vivificans est, ad maturitatem fecunditatemque commendemus. Propositum Nostrum quo melius uberiusque eveniat, deliberatum habemus alloqui vos per sollemnia proxima sacrae Pentecostes de praesentia et virtute mirifica eiusdem Spiritus; quantopere nimirum et in tota Ecclesia et in singulorum

1 Ioann. xvi, 7.

2 Iob xxvi, 13.

3 Sap. 17,.

4 S. Leo M. ser. II. in anniv. ass. suae.

animis ipse agat effeiatque praeclará copia charismatum supernorum. Inde fiat, quod vehementer optamus, ut fides excitetur vigeatque in animis de mysterio Trinitatis augustae, ac praesertim pietas augeatur et caleat erga divinum Spiritum, cui plurimum omnes acceptum referre debent quotquot vias veritatis et iustitiae sectantur: nam, quemadmodum Basilius praedicavit, *Dispensationes circa hominem, quae factae sunt a magno Deo et Salvatore nostro Iesu Christo iuxta bonitatem Dei, quis neget per Spiritus gratiam esse adimpletas* (1)?

Antequam rem aggredimur institutam, nonnulla de Trinitatis sacrosanctae mysterio placet atque utile erit attingere. Hoc namque *substantia novi testamenti* a sacris doctoribus appellatur, mysterium videlicet unum omnium maximum, quippe omnium veluti fons et caput; cuius cognoscendi contemplandique causâ, in caelo angeli, in terris homines procreati sunt, quod, in testamento veteri adumbratum, ut manifestius doceret, ab angelis ad homines Deus ipse descendit: *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit* (2), Quisquis igitur de Trinitate scribit aut dicit, illud ob oculos teneat oportet quod prudenter monet Angelicus: *Quam de Trinitate loquimur cum cautela et modestia est agendum, quia, ut Augustinus dicit, nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quaeritur, nec fructuosius aliquid invenitur* (3). Periculum autem ex eo fit, ne in fide aut in cultu vel divinae inter se Personae confundantur vel unica in ipsis natura separetur; nam, *fides catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate et Trinitatem in unitate veneremus*. Quare Innocentius XII, decessor Noster, sollemnia quaedam honori Patris propria postulantis omnino negavit. Quod si singula Incarnati Verbi mysteria certis diebus festis celebrantur, non tamen proprio ullo festo celebratur Verbum, secundum divinam tantum naturam: atque ipsa etiam Pentecostes sollemnia non ideo iaducta antiquitus sunt, ut Spiritus Sanctus per se simpliciter honoraretur, sed ut eiusdem recoleretur adventus sive externa missio. Quae quidem omnia sapienti consilio sancita sunt, ne quis forte a distinguendis Personis ad divinam essentiam distinguendam prolaberetur. Quia etiam Ecclesia ut in fidei integritate filios contineret, sanctissimae Trinitatis festum instituit, quod Ioannes XXII deinde iussit ubique agendum; tum altaria et templa eidem dicari permisit; atque Ordinem religiosorum captivis redimen-

1 *De Spiritu Sancto* c. XVI, n. 39.

2 Ioann. I, 18.

3 *Summ. th. 1.^a, q. XXXI, a. 2—De Trin. l., I, c. 3.*

dis, qui Trinitati devotus omnino est eiusque titulo gaudet, non sine caelesti nutu rite comprobavit. Multaque rem confirmant. Cultus enim qui sanctis Caelitibus atque Angelis, qui Virgini Deiparae, qui Cristo tribuitur, is demum in Trinitatem ipsam redundat et desinit. In precationibus quae uni Personae adhibentur, item de ceteris mentio est; in forma supplicationum, singulis quidem Personis seorsum invocatis, communis earum invocatio subiicitur; psalmis hymnisque idem omnibus praeconium accedit in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum; benedictiones, ritus, sacramenta comitatur aut conficit sanctae imploratio Trinitatis. Atque haec ipsa iampridem Apostolus praemonuerat in ea sententia: *Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia; ipsi gloria in saecula* (1): inde significans Personarum trinitatem, hinc unitatem affirmans naturae, quae quum una eademque singulis sit Personis, ideo, singulis tamquam uni eidemque Deo, aeterna aequae maiestatis gloria debetur. Quod testimonium edisserens Augustinus, *Non confuse, inquit, accipiendum est quod ait Apostolus, ex ipso et per ipsum et in ipso; ex ipso dicens propter Patrem, per ipsum propter Filium, in ipso propter Spiritum Sanctum* (2).—Aptissimeque Ecclesia, ea Divinitatis opera in quibus potentia excellit, tribuere Patri, ea in quibus excellit sapientia, tribuere Filio, ea in quibus excellit amor, Spiritui Sancto tribuere consuevit. Non quod perfectiones cunctae atque opera extrinsecus edita Personis divinis communia non sint; sunt enim *indivisa opera Trinitatis, sicut et indivisa est Trinitatis essentia* (3), quia, uti tres Personae divinae *inseparabiles sunt, ita inseparabiliter operantur* (4): verum quod ex comparatione quadam et propemodum affinitate quae inter opera ipsa et Personarum proprietates intercedit, ea alteri potius quam alteris addicuntur sive, ut aiunt, appropriantur: *Sicut similitudine vestigii vel imaginis in creaturis inventa, utimur ad manifestationem divinarum Personarum, ita et essentialibus attributis et haec manifestatio Personarum per essentialia attributa appropriatio dicitur* (5). Hoc modo Pater qui est principium totius Deitatis (6), idem causa est effectrix universitatis rerum et Incarnationis Verbi et sanctificationis animorum, «ex ipso sunt

1 Rom. XI, 36.

2 *De Trin.* 1. VI, c. 10.--1. I, c. 6.

3 S. Aug. *de Trin.* 1. I, c. 4 et 5.

4 S. Aug. *ib.*

5 S. Th. 1.^o, q. XXXIX, a. 7.

6 S. Aug. *de Trin.* 1. IV, c. 20.

omnia;» ex ipso, propter Patrem. Filius autem, *Verbum Imago Dei*, idem est causa exemplaris unde res omnes formam et pulchritudinem, ordinem et concentum imitantur; qui extitit nobis via, veritas, vita, hominis cum Deo reconciliator, *per ipsum sunt omnia*; per ipsum, propter Filium. Spiritus vero Sanctus idem est omnium rerum causa ultima, eo quia sicut in fine suo voluntas lateque omnia conquiescunt, non aliter ille, qui divina bonitas est ac Patris ipsa Filiique inter se caritas, arcana ea opera de salute hominum sempiterna, impulsione quadam valida suavi- que complet et perficit, *in ipso sunt omnia*; in ipso, propter Spiritum Sanctum.

Rite igitur inviolateque custodito religionis studio, toti debito Trinitati beatissimae, quod magisque in christiano populo aequum est inculcari, ad virtutem Spiritus Sancti exponendam oratio Nostra convertitur. — Ac principio respici oportet ad Christum, conditorem Ecclesiae et nostri generis Redemptorem. Sane in operibus Dei externis illud eximie praestat Incarnati Verbi mysterium, in quo divinarum perfectionum sic enitet lux ut quidquam supra ne cogitari quidem possit, et quo aliud nullum humanae naturae esse poterat salutarius. Hoc igitur tantum opus, etsi totius Trinitatis fuit, attamen Spiritui Sancto tamquam proprium adscribitur: ita ut de Virgine sic Evangelia commemorent: *Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto, et: Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est* (1). Idque merito adscribitur ei qui Patris et Filii est caritas; quum hoc magnum «pietatis Sacramentum» (2) sit a summa Dei erga homines caritate profectum, prout Ioannes commonet: «Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret (3). Accedit quod natura humana evecta inde sit ad coniunctionem personalem cum Verbo; quae dignitas non ullis quidem data est eius promeritis, sed ex integra plane gratia, proptereaque ex munere veluti proprio Spiritus Sancti. Ad rem apposite Augustinus: «Iste »modus, inquit, quo est natus Christus de Spiritu Sancto, insinuat »nobis gratiam Dei, qua homo nullis praecedentibus meritis, in »ipso primo exordio naturae suae quo esse coepit, Verbo Dei co- »pularetur in tantam personae unitatem, ut idem ipse esset Filius »Dei qui Filius hominis, et Filius hominis qui Filius Dei» (4). Divini autem Spiritus operâ non solum conceptio Christi effecta est, sed eius quoque sanctificatio animae, quae «unctio in sacris

1 Matth. I, 18, 20.

2 I Tim. III, 16.

3 III, 16.

4 *Enchir. c.* xxxv.—S. Th. 3.^a, q. XXXII, a. 1.

«libris nominatur» (1): atque adeo omnis eius actio «praesente
 »Spiritu peragebatur» (2), praecipueque sacrificium sui: «Per
 »Spiritus Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo» (3). —
 Ista qui perpenderit, nihil erit ei mirum quod charismata omnia
 almi Spiritus in animam Christi affluerint. Namque in ipso copia
 insedit gratiae singulariter plena, quanto maximo videlicet modo
 atque efficacitate haberi possit; in ipso omnes sapientiae scientiae-
 que thesauri, gratiae gratis datae, virtutes, donaque omnino omnia
 quae tum Isaiiae oraculis nunciata (4), tum significata sunt admi-
 rabili ea columba ad Iordanem, quum eas aquas suo Christus ba-
 ptismate ad sacramentum novum consecravit. Quo loco illa eius-
 dem Augustini recte conveniunt: «Absurdissimum est dicere quod
 »Christus, quum iam triginti esset annorum, accepit Spiritum
 »Sanctum, sed venit ad baptismum, sicut sine peccato, ita non sine
 »Spiritu Sancto. Tunc ergo, scilicet in baptismo, corpus suum,
 »idest Ecclesiam, praefigurari dignatus est, in qua praecipue ba-
 »ptizati accipiunt Spiritum Sanctum» (5). Itaque Spiritus Sancti et
 praesentia conspicua super Christum et virtute intima in anima
 eius, duplex eiusdem Spiritus praesignificatur missio, ea nimirum
 quae in Ecclesia manifesto patet, et ea quae in animis iustorum
 secreto illapsu exercetur.

Ecclesia, quae iam concepta, ex latere ipso secundi Adami, ve-
 lut in cruce dormientis, orta erat, sese in lucem hominum insigni
 modo primitus dedit die celeberrima Pentecostes. Ipsaque die bene-
 ficia sua Spiritus Sanctus in mystico Christi corpore prodere coe-
 pit, ea mira effusione quam Ioel propheta iampridem viderat (6):
 nam Paraclitus *sedit super Apostolos ut novae coronae spirituales*
per linguas igneas imponerentur capiti illorum (7). Tum vero Apo-
 stoli *de monte descenderunt*, ut Chrysostomus scribit, *non tabulas la-*
pideas in manibus portantes, sicut Moyses, sed Spiritum in mente
circumferentes, et thesaurum quemdam ac fontem dogmatum et cha-
rismatum effundentes (8). — Ita plane eveniebat illud extremum
 Christi ad Apostolos suos promissum de Spiritu Sancto mittendo,
 qui doctrinae, ipso afflante, traditae completurus ipse esset et quo-
 dammodo obsignaturus depositum: *Adhuc multa habeo vobis dicere,*

1 Actor. X, 38.

2 S. Basil. *de Sp. S. c. XVI.*

3 Hebr. IX, 14.

4 IV, 1; xi, 2, 3.

5 *De Trin.* 1. xv, c. 26.

6 II, 28, 29.

7 Cyr. hierosol. *catech.* 17.

8 *In Matth. hom.* I, - Cor. III, 3.

sed non potestis portare modo; quum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem (1). Hic enim qui Spiritus est veritatis, utpote simul a Patre, qui verum aeternum est, simul a Filio, qui veritas est substantialis, procedens, haurit ab utroque unâ cum essentia omnem veritatis quanta est amplitudinem: quam quidem veritatem impertit ac largitur Ecclesiae, auxilio praesentissimo providens ut ipsa ne ulli unquam errori obnoxia sit, utque divinae doctrinae germina alere copiosius in dies possit et frugifera praestare ad populorum salutem. Et quoniam populorum salus, ad quam nata est Ecclesia, plane postulat ut haec munus idem in perpetuitatem temporum persequatur, perennis idcirco vita atque virtus a Spiritu Sancto suppetit, quae Ecclesiam conservat augetque: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis* (2). Ab ipso namque episcopi constituuntur, quorum ministerio non modo filii generantur, sed etiam patres, sacerdotes videlicet, ad eam regendam enutriendamque eodem sanguine quo est a Christo redempta: *Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo* (3). Utrique autem, episcopi et sacerdotes, insigni Spiritus munere id habent ut peccata pro potestate deleant, secundum illud Christi ad Apostolos: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* (4). Porro Ecclesiam opus esse plane divinum, alio nullo argumento praeclarius constat quam charismatum quibus undique illa ornatur splendore et gloria; auctore nimirum et datore Spiritu Sancto. Atque hoc affirmare sufficiat, quod quum Christus caput sit Ecclesiae, Spiritus Sanctus sit eius anima: *Quod est in corpore nostro anima, id est Spiritus Sanctus in corpore Christi, quod est Ecclesia* (5).— Quae ita quum sint, nequaquam comminisci et expectare licet aliam ullam ampliorem uberiolemque divini Spiritus manifestationem et ostensionem: quae enim nunc in Ecclesia habetur, maxima sane est, eaque tandiu manebit quoad Ecclesiae contingat ut, militiae emensa stadium, ad triumphantium in caelesti societate laetitiam educatur.

Quantum vero et quo modo Spiritus Sanctus in animis singulorum agat, id non minus admirabile est, quamquam intellectu pau-

1 Ioann. xvi, 12, 13.

2 *Ib.* xiv, 16, 17.

3 Act. xx, 28.

4 Ioann. xx, 22, 23.

5 S. Aug. *serm.* CLXXXVII *de Temp.*

lo est difficilius, eo etiam quia omnem intuitum fugiat oculorum. — Haec pariter Spiritus effusio tantae est copiae, ut Christus ipse, cuius de munere proficiscitur, abundantissimo anni similem dixerit, prout est apud Ioannem: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae*: cui testimonio idem Evangelista explanationem subiicit: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum* (1). Certum quidem est, in ipsis etiam hominibus iustis qui ante Christum fuerunt, insedissee per gratiam Spiritum Sanctum, quemadmodum de prophetis, de Zacharia, de Ioanne Baptista, de Simeone et Anna scriptum accepimus; quippe in Pentecoste non ita se Spiritus Sanctus tribuit, «ut tunc primum esse sanctorum inhabitator inciperet, sed ut copiosius inundaret, cumulans sua dona, non inchoans, nec ideo novus opere, quia ditior largitate» (1). Verum, si et illi in filiis Dei numerabantur, conditione tamen perinde erant ac servi, quia etiam filius «nihil differt a servo,» quousque est «sub tutoribus et actoribus» (2): ac, praeterquam quod iustitia in illis non erat nisi ex Christi meritis adventuri, communicatio Spiritus Sancti post Christum facta multo est copiosior, propemodum ut arram pretio vincit res pacta, atque ut imagini longe praestat veritas. Hoc propterea affirmavit Ioannes: «Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus» (3). Statim igitur ut Christus, «ascendens in altum,» regni sui gloria tam laboriose parta potitus est, divitias Spiritus Sancti munifice reclusit, «dedit dona hominibus» (4). Nam, «certa illa Spiritus Sancti» datio vel missio post clarificationem Christi futura erat qualis «nunquam antea fuerat, neque enim antea nulla fuerat, sed talis non fuerat» (5). Siquidem natura humana necessario serva est Dei: «Creatura serva est, servi nos Dei sumus secundum naturam» (6): quin etiam ob communem noxam natura nostra omnis in id vitium dedecusque prolapsa est, ut praeterea infensi Deo extiterimus: «Eramus natura filii irae» (7) Tali nos a ruina exitioque sempiterno nulla usquam vis tanta erat quae posset erigere et vin-

1 VII, 38 39.

2 S. Leo M. *hom. III de Pentec.*

3 Gal. IV, 1. 2.

4 VII, 39.

5 Eph. IV, 8.

6 S. Aug. *de Trin.* 1. IV, c. 20.

7 S. Cyr. alex. *Thesaur.* 1. V, c. 5.

8 Eph. II, 3.

dicare. Id vero Deus, humanae naturae conditor, summe misericors praestitit per Unigenam suam: cuius beneficio factum, ut homo in gradum nobilitatemque, unde exciderat, cum donorum locupletiore ornatu sit restitutus. Eloqui nemo potest quale sit opus istud divinae gratiae in animis hominum; qui propterea luculenter tum in sacris litteris tum apud Ecclesiae patres, et regenerati et creaturae novae et consortes divinae naturae et filii Dei et deifici similibusque laudibus appellantur.—Iamvero tam ampla bona non sine causa debentur quasi propria Spiritui Sancto. Ipse enim est «Spiritus adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater;» idemque paterni amoris suavitate corda perfundit: «Ipse Spiritus »testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei (1). Cui rei declarandae opportune cadit ea, quam Angelicus perspexit, similitudo inter utramque Spiritus Sancti operam; quippe per eum ipsum et «Christus est in sanctitate conceptus ut esset Filius Dei »naturalis, et alii sanctificatur ut sint filii Dei adoptivi» (2). Ita, multo quidem nobiliter quam in rerum natura fiat, ab amore oritur spiritualis regeneratio, Ab amore scilicet increato.

Huius regenerationis et renovationis initia sunt homini per baptismum: in quo sacramento, spiritu immundo ab anima depulso, illabitur primum Spiritus Sanctus, eamque similem sibi facit: *Quod natum est ex Spiritu, spiritus est* (3) Uberiusque per sacram confirmationem, ad constantiam et robur christianae vitae, sese dono dat idem Spiritus; a quo nimirum fuit victoria martyrum et virginum de illecebris corruptelarum triumphus. Sese, inquit, dono dat Spiritus Sanctus: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis* (4) Ipse enimvero non modo affert nobis divina munera, sed eorumdem est auctor, atque etiam munus ipse est supremum; qui a mutuo Patris Filiique amore procedens, iure habetur et nuncupatur *altissimi donum Dei*.—Cuius doni natura et vis quo illustrius pateat, revocare oportet ea quae in divinis litteris tradita sacri doctores explicaverunt. Deum videlicet adesse rebus omnibus in eisque esse, *per potentiam, in quantum omnia eius potestati subduntur; per praesentiam, in quantum omnia nuda sunt et aperta oculis eius; per essentiam, in quantum adest omnibus ut causa essendi* (5) At vero in homine est Deus non tantummodo ut in rebus, sed eo amplius cognoscitur ab ipso et

1 Rom. VIII, 15, 16.

2 S. Th. 3.^a, q. XXXII. a. 1.

3 Ioann. III, 7.

4 Rom. v. 5.

5 S. Th. 1.^a, q. VIII, a. 3.

diligitur; quum vel duce natura bonum sponte amemus, cupiamus, conquiramus. Praeterea Deus ex gratia insidet animae iustae tamquam in templo, modo penitus intimo et singulari; ex quo etiam sequitur ea necessitudo caritatis, qua Deo adhaeret anima coniunctissime, plus quam amico amicus possit benevolenti maxime et dilecto, eoque plene suaviterque fruitur.—Haec autem mira coniunctio, quae suo nomine *inhabitatio* dicitur, conditione tantum seu statu ab ea discrepans qua caelites Deus beando complectitur, tametsi verissime efficitur praesenti totius Trinitatis numine, *ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus* (1), attamen de Spiritu Sancto tamquam peculiaris praedicatur. Siquidem divinae et potentiae et sapientiae vel in homine improbo apparent vestigia; caritatis, quae propria Spiritus veluti nota est, alius nemo nisi iustus est particeps. Atque illud cum re cohaeret, eundem Spiritum nominari Sanctum, ideo etiam quod ipse, primus summusque Amor, animos moveat agatque ad sanctitatem, quae demum amore in Deum continetur. Quapropter Apostolus quum iustos appellat templum Dei, tales non expresse Patris aut Filii appellat, sed Spiritus Sancti: *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo* (2)?—Inhabitantem in animis piis Spiritum Sanctum ubertas munerum caelestium multis modis consequitur. Nam, quae est Aquinatis doctrina, *Quum Spiritus Sanctus procedat ut amor, procedit in ratione doni primi; unde dicit Augustinus, quod per donum quod est Spiritus Sanctus, multa propria dona dividuntur membris Christi.* (3) In his autem muneribus sunt arcae illae admonitiones invitationesque, quae instinctu Sancti Spiritus identidem in mentibus animisque excitantur; quae si desint, neque initium viae bonae habetur, neque progressiones, neque exitus salutis aeternae. Et quoniam huiusmodi voces et motiones occulte admodum in animis fiunt, apte in sacris paginis similes non unquam habentur venientis aerae sibilo; easque Doctor Angelicus scite confert motibus cordis, cuius tota vis est in animante perabdita: *Cor habet quamdam influentiam cultam, et ideo cordi comparatur Spiritus Sanctus, qui invisibiliter Ecclesiam vivificat et unit* (4).—Hoc amplius, homini iusto, vitam scilicet viventi divinae gratiae et per congruas virtutes tamquam facultates agenti, opus plane est septenis illis quae proprie dicuntur Spiritus Sancti donis. Horum enim beneficio instrui-

1 Ioann. XIV, 23,

2 I Cor. vi, 19.

3 *Summ. th.* 1.^a q. xxxviii, a. 2.—S. Aug. *de Trin.* 1. xv, c. 19.

4 *Summ. th.* 3.^a, q. viii, a. 1 ad 3.

tur animus et munitur ut eius vocibus atque impulsioni facilius promptiusque obsequatur; haec propterea dona tantae sunt efficacitatis ut eum ad fastigium sanctimoniae adducant, tantaeque excellentiae ut in caelesti regno eadem, quamquam perfectius, perseverent. Ipsorumque ope charismatum provocatur animus et effertur ad appetendas adipiscendasque beatitudines evangelicas quae, perinde ac flores verno tempore erumpentes, indices ac nunciae sunt beatitudinis perpetuo mansurae. Felices denique sunt fructus ii, ab Apostolo enumerati (1) quos hominibus iustis in hac etiam caduca vita Spiritus parit et exhibet, omni refertos dulcedine et gaudio; cuiusmodi esse debent a Spiritu, *qui est in Trinitate genitoris genitique suavitas, ingenti largitate atque ubertate perfundens omnes creaturas* (2)—Itaque divinus Spiritus in aeterno sanctitatis lumine a Patre et a Verbo procedens, amor idem et donum, postquam se per velamen imaginum in testamento veteri exhibuit, plenam sui copiam effudit in Christum in eiusque corpus mysticum, quae est Ecclesia; atque homines in pravitatem et corruptelam abeuntes praesentia et gratia sua tam salutariter revocavit, ut iam non de terra terreni, longe alia saperent et vellent, quasi de caelo caelestes.

Haec omnia quum tanta sint, quumque Spiritus Sancti, bonitatem in nos immensam luculenter declarent, omnino postulant a nobis, ut obsequii pietatisque stadium in eum quam maxime intendamus. Id autem christiani homines recte optimeque efficient, si eundem certaverint maiore quotidie cura et noscere et amare et exorare: cuius rei gratia sit haec ad ipsos, prout sponte fluit paterno ex animo, cohortatio.—Fortasse ne hodie quidem in eis desunt, qui similiter rogati ut quidam olim a Paulo apostolo, acceperintne Spiritum Sanctum, respondeant similiter: *Sed neque si Spiritus Sanctus est, audivimus* (3) Sin minus, multi certe in eius cognitione valde deficiunt; cuius quidem crebro usurpant nomen in religiosis actibus exercendis, sed ea fide quae crassis tenebris circumfusa est. Quapropter quotquot sunt sacri concionatores curatoresque animarum hoc meminerint esse suum, ut quae ad Spiritum Sanctum pertinent diligentius atque uberius populo tradant; sic tamen ut difficiles subtilesque absint controversiae, et prava eorum stultitia devitetur qui omnia etiam arcana divina temere conantur perscrutari. Illud potius commemorandum enucleateque

1 Gal. v. 22.

2 S. Aug. de Trin. 1. vi, c. 9.

3 Act. xix, 2.

explanandum est, quam multa et magna beneficia ab hoc largitore divino et manaverint ad nos et manare non desinant; ut vel error vel ignoratio tantarum rerum, *lucis filiis* indigna, prorsus depellatur. Hoc autem propterea urgemus, non modo quia id attingit mysterium quo ad vitam aeternam proxime dirigimur, ob eamque rem firme credendum; verum etiam quia bonum quo clarius pleniusque habetur cognitum, eo impensius diligitur et amatur. — Nempe Spiritui Sancto, quod alterum praestandum esse monuimus, debetur amor, quia Deus est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua et ex tota fortitudine tua* (1). Amandusque idem est, quippe substantialis, aeternus, primus amor; amore autem nihil est amabilius: multoque id magis quia summis ipse nos cumulavit beneficiis, quae ut largientis benevolentiam testantur, ita gratum animum accipientis repossunt. Qui amor duplicem habet utilitatem neque eam exiguam. Nam tum ad illustriorem in dies notitiam de Spiritu Sancto capiendam nos exaeruet; *Amans enim, ut Angelicus ait non est contentus superficiali apprehensione amati, sed nititur singula quae ad amatum pertinent intrinsecus disquirere, et sic ad interiora eius ingreditur, sicut de Spiritu Sancto, qui est amor Dei, dicitur quod scrutatur etiam profunda Dei* (2): tum caelestium donorum copiam nobis conciliabit largiorem, eo quod donantis manum ut angustus animus contrahit, ita gratus et memor dilatat. Curandum tamen magnopere ut iste amor eiusmodi sit qui non in cogitatione arida externoque obsequio subsistat, sed ad agendum prosiliat, refugiat maxime a culpa; quum haec Spiritui Sancto, peculiari quodam nomine, accidat iniuriosior. Quanticumque enim sumus, tanti sumus ex bonitate divina; quae eidem Spiritui praesertim adscribitur: hunc benigne sibi facientem is offendit qui peccat, quique ipsis eius abusus muneribus et bonitati confisus, quotidie magis insolenscit. — Ad haec, quum veritatis ille sit Spiritus, si quis ex infirmitate aut inscitia deliquerit, forsitan excusationis aliquid apud Deum habeat; at qui per malitiam veritati repugnet ab eaque se avertat, in Spiritum Sanctum peccat gravissime. Quod quidem aetate nostra increbruit adeo, ut deterrima ea tempora advenisse videantur a Paulo praenunciata, quibus homines iustissimo Dei iudicio obcaecati falsa, pro veris habituri sint, et *huius mundi principi*, qui mendax est et mendacii pater, tamquam veritatis magistro credituri: «Mittet illis Deus operationem erroris ut credant mendacio (3): in novissimis

1 Deut. VI, 5.

2 I Cor. II, 10. — *Summ. th.* 1.^a 2.^a, q, xxviii, a. 2.

3 II Thess. II, 10.

»temporibus dicebant quidam a fide, attendentes spiritibus erroris
 »et doctrinis daemoniorum. (1).—Quoniam vero Spiritus Sanctus
 in nobis, ut supra monuimus, quasi suo quodam in templo habitat,
 suadendum est illud Apostoli: «Nolite contristare Spiritum Sanctum
 »Dei, in quo signatis estis» (2). Idque ipsum non satis est, indi-
 gna omnia defugere, sed omni virtutum laude christianus homo ni-
 tere debet, ut hospiti tam magno tamque benigno placeat, castimo-
 nia in primis et sanctitudine; casta enim et sancta addecent tem-
 plum. Hinc idem Apostolus: «Nescitis quia templum Dei estis, et
 »Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei viola-
 »verit, disperdet illum Deus; templum enim Dei sanctum est,
 »quod estis vos» (3) formidolosae eae quidem, sed perquam iustae
 minae.—Postremo, Spiritum Sanctum exorari et obsecrari oportet,
 quippe cuius praesidio adiumentisque nemo unus non egeat
 maxime. Ut enim quisque est inops consilii, viribus infirmus, ae-
 rumnis pressus, pronus in vetitum, ita ad eum confugere debet
 qui luminis, fortitudinis, consolationis, sanctitatis fons patet pe-
 rennis. Atque illa homini in primis necessaria, admissorum venia,
 ab eo potissimum expetenda est: «Spiritus Sancti proprium est quod
 »sit donum Patris et Filii; remissio autem peccatorum fit per Spi-
 »ritum Sanctum, tamquam per donum Dei» (4) de quo Spiritu
 apertius habetur in ordine rituali: «Ipse est remissio omnium pec-
 »catorum» (5).—Quanam vero ratione sit exorandus, perapte do-
 cet Ecclesia, quae supplex eum compellat et obtestatur suavissi-
 mis quibusque nominibus: «Veni pater pauperum, veni lumen
 »cordium: consolator optime, dulcis hospes animae, dulce refrige-
 »rium:» eundemque enixe implorat ut eluat, ut sanet, ut irriget
 mentes atque corda, detque confidentibus et «virtutis meritum et
 »salutis exitum et perenne gaudium.» Nec dubitare ullo pacto li-
 cet an huiusmodi preces auditurus ille sit, quo auctore scriptum
 legimus: «Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabili-
 »bus» (6) Demum hoc est fidenter assidueque supplicandum, ut
 nos quotidie magis et luce sua illustret et caritatis suae quasi fa-

1 I Tim. iv, 1.

2 Eph. iv, 30.

3 I Cor. iii, 16, 17.

4 *Summ. th.* 3.^a, q. iii a. 8 ad 3^m.

5 *In Miss. rom. fer. iii post Pent.*

6 Rom. viii, 26.

cibus incendat; sic enim fide et amore freti acriter enitamur ad praemia sempiterna, quoniam ipse «est pignus hereditatis nostrae» (1).

Habetis, Venerabiles Fratres, quae ad fovendum Spiritus Sancti cultum monendo hortandoque placuit edicere: minimeque dubitamus, quin ope praesertim navitatis sollertiaeque vestrae praeclaros in christiano populo sint fructus latura. Nostra quidem tantae huic rei perseguendae nulla unquam defutura est opera, atque etiam consilium est ut, quibus subinde modis videbitur opportunius, idem pietatis studium tam praestabile alamus et provehamus. Interea, quoniam biennio ante, datis litteris *Provida matris*, peculiare preces, easque ad maturandum christianae unitatis bonum, in sollemnibus Pentecostes catholicis commendavimus, libet de hoc ipso capite ampliora quaedam decernere. Decernimus igitur et mandamus ut per orbem catholicum universum, hoc anno itemque annis in perpetuum consequentibus, supplicatio novendialis ante Pentecosten, in omnibus curialibus templis et, si Ordinarii locorum utile iudicaverint, in aliis etiam templis sacrariisve fiat. Omnibus autem qui eidem novendiali supplicationi interfuerint, et ad mentem Nostram, rite oraverint, eis annorum septem septemque quadragenarum apud Deum indulgentiam in singulos dies concedimus; tum plenariam in uno quolibet eorumdem dierum vel festo ipso die Pentecostes, vel etiam quolibet ex octo subsequentibus, modo rite confessione abluti sacrâque communionem refecti ad eandem mentem Nostram pie supplicaverint. Quibus beneficiis frui pariter eos posse volumus quos publicis illis precibus legitima causa prohibeat, vel ubi non ita commode, secundum Ordinarii prudentiam, in templo res fieri possit: dum tamen supplicationi novendiali privatim detur opera ceteraeque conditiones expleantur. Hoc praeterea placet de thesauro Ecclesiae in perpetuum tribuere, ut si qui vel publici vel privatim preces aliquas ad Spiritum Sanctum pro pietate sua iterum praestent quotidie per octavam Pentecostes ad festum inclusive sanctae Trinitatis, ceterisque ut supra conditionibus rite satisfecerint, ipsis liceat utramque iterum consequi indulgentiam. Quae omnia indulgentiae munera etiam animabus piis igni purga-

1. Eph. 1, 14.

torio addictis converti in suffragium posee, misericorditer in Domino concedimus.

Iam Nobis mens animusque ad ea revolat vota quae initio aperuimus; quorum eventum summis precibus a divino Spiritu flagitabimus. Agite, Venerabiles Fratres, Nostris cum precibus vestras consocietis, vobisque hortatoribus universae christianae gentes coniungant suas, adhibita conciliatrice potenti et peraccepta Virgine Beatissima. Quae ipsi rationes cum Spiritu Sancto intercedant intimae admirabilesque, probe nostis; ut Sponsa eius immaculata merito nominetur. Ipsius deprecatio Virginis multum profecto valuit et ad mysterium Incarnationis et ad eiusdem Paracliti in Apostolorum coronam adventum. Communes igitur preces pergat ipsa suffragio suo benignissima roborare, ut in universitate nationum tam misere laborantium divina rerum prodigia per alium Spiritum feliciter instaurentur, quae vaticinatione Davidica sunt celebrata: «Emittes Spiritum tuum et creabuntur et renovabis faciem terrae» (1).—Caelestium vero donorum auspicem et benevolentiae Nostrae testem vobis, Venerabiles Fratres, Clero populoque vestro Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die IX Maii anno MDCCCLXXXVII, Pontificatus Nostri vigesimo.

LEO PP. XIII.



1 Ps. CIII^o 30.

LIGA DE ORACIONES.--DISTRIBUCION DE LAS MISAS PARA EL MES DE JULIO.

DIAS	CELEBRANTES.	LUGAR.	LAS HARÁN CELEBRAR.	LUGAR.
1	Sr. Dr. D. José Mayans	Ciudadela	La Archicofradía de la Guardia de Honor . . .	Mahon
2	» D. Gabriel Cardona	San Luis	Las señoras asociadas al Apostolado de la Oracion	Mahon
3	» » Federico Pareja	Ciudadela	La Cofradía de Nuestra Señora del Cármen. . .	Mahon
4	» » Jaime Cardell	Mercadal	La Escuela de perfeccion de San Antonio Abad	Mahon
5	» » Juan Salom	Ciudadela	El Apostolado de la Oracion.	Ciudadela
6	» » Lorenzo Villalonga	Ferrerías	Las Sras. Celadoras y asociadas al A. Oracion	Ciudadela
7	» » Juan Barber	Ciudadela	La Cofradía de la P. S. de Ntro. Señor Jesucristo	Mahon
8	» » Rafael Bosch	Villacárlas	La Asociación de S. José	Mahon
9	Sr. Lic. D. Pedro Anglada Bonet	Ciudadela	Sras. Celadoras y asociadas al A. de la Oracion	Ciudadela
10	» D. Gabriel Olives	Mahon	Los señores asociados al Apostolado de la Oracion	Mahon
11	» » Miguel Pons Gorrias	Ciudadela	La Cofradía de Ntra. Señora del Cármen. . .	Mahon
12	» » Antonio Pons	Mahon	La Cofradía de Ntra. Señora de Gracia . . .	Mahon
13	» » Antonio Rodriguez	Ciudadela	Una asociada al Apostolado de la Oracion . . .	Ciudadela
14	» » Juan Pons	Mahon	Las Sras. Celadoras y asociadas al A. Oracion	Ciudadela
15	» » Jaime Carretero	Ciudadela	Las Sras. Celadoras y asociadas al A. Oracion	Ciudadela
16	» » Gregorio Pons	Mahon	La Asociación de San José.	Mahon
17	» » Lic. D. Bartolomé Moll	Ciudadela	Sras. celadoras y asociadas al A. de la Oracion	Ciudadela
18	Sr. D. Miguel Timoner	S. Clemente	La Congregacion de San Luis Gonzaga . . .	Mahon
19	Ilmo. Sr. Obispo	Ciudadela		
20	Sr. D. Lorenzo Pons y Pons.	Alayor		
21	M. I. Sr. Dean	Ciudadela		
22	Sr. D. Antonio Villalonga	Alayor		
23	» » Arcediano	Ciudadela		
24	Sr. D. Juan Morillo	Mahon		
25	M. I. Sr. Maestrescuela	Ciudadela		
26	Sr. D. Pedro Pons	Mahon		
27	M. I. Sr. Penitenciario	Ciudadela		
28	Sr. D. Bernardino Frontí	Mahon		
29	M. I. Sr. Lectoral	Ciudadela		
30	Sr. D. José Landino	Mahon		
31	M. I. Sr. Magistral	Ciudadela		
32	Sr. D. Francisco Sancho	Mahon		

L.AS.	CELEBRANTES	LUGAR.	LAS HARÁN CELEBRAR.	LUGAR.
17	M. I. Sr. Doctoral	Ciudadela	La V. O. T. de San Francisco	Mahon
18	Sr. D. Narciso Panedas	Mahon	La Cofradía de Ntra. Señora del Cármen	Mahon
19	M. I. Sr. D. Jaime Serra	Ciudadela	La Asociación de las Hijas de María.	Ciudadela
19	Sr. D. Jaime Tutzó	Mahon	Una asociada al Apostolado de la Oracion	Ciudadela
20	M. I. Sr. D. Abdon Alonso	Ciudadela	Las Sras. Celadoras y asociadas al A. Oracion	Ciudadela
20	Sr. D. Matias Nuza	Mahon	Un celador del Apostolado de la Oracion.	Ciudadela
21	M. I. Sr. D. Juan Morera	Ciudadela	Las Sras. Celadoras y Asociadas al A. Oracion	Ciudadela
21	Sr. D. Pedro Pons Olives	Mahon	La Asociación de San José	Mahon
22	Sr. Lic. D. Pedro Moll	Ciudadela	La Congregación de San Luis Gonzaga	Ciudadela
22	Sr. D. Lorenzo Vannrell	Mahon	Las Sras. Celadoras y Asociadas al A. Oracion	Ciudadela
23	Sr. D. Pedro Villalonga	Ciudadela	El albacea testamentario de D.ª A. de la Torre.	Ciudadela
23	» » Pedro Hernandez	Mahon	La Cofradía de Ntra. Señora del Cármen.	Mahon
24	Sr. Dr. D. José Jover	Ciudadela	El Rdo. Clero de Santa Maria	Mahon
24	Sr. D. Eduardo Turmo	Mahon	Una asociada al Apostolado de la Oracion	Ciudadela
25	» » German Ubeda	Ciudadela	Una asociada al Apostolado de la Oracion	Ciudadela
25	» » Damian Andrea	Mahon	Una asociada al Apostolado de la Oracion	Ciudadela
25	» » Cristobal Febrer	Ciudadela	Una asociada al Apostolado de la Oracion	Ciudadela
26	» » Bernardo Tuduri	Mahon	Una asociada al Apostolado de la Oracion	Ciudadela
26	Sr. Dr. D. Gabriel Vila	Ciudadela	Una asociada al Apostolado de la Oracion	Ciudadela
27	Sr. D. Juan Cardona	Mahon	Una asociada al Apostolado de la Oracion	Ciudadela
27	Sr. Dr. D. Juan Tuduri	Ciudadela	Una asociada al Apostolado de la Oracion	Ciudadela
28	Sr. D. Juan Riola	Mahon	Una asociada al Apostolado de la Oracion	Ciudadela
28	Sr. D. Juan Mascaró	Ciudadela	Una asociada al Apostolado de la Oracion	Ciudadela
29	» » José Pallicer	Mahon	Una asociada al Apostolado de la Oracion	Ciudadela
29	» » Lorenzo Salord	Ciudadela	Una asociada al Apostolado de la Oracion	Ciudadela
30	» » Juan Alzina	Mahon	Una asociada al Apostolado de la Oracion	Ciudadela
30	» » Matias Anglada	Ciudadela	Iglesia de la Concepcion	Mahon
31	» » Sebastian Lozano	S. Cristóbal	La Cofradía de Ntra. Señora del Cármen	Mahon
31	» » Miguel Triay	Ciudadela		
31	» » Ambrosio Carabó	Mahon		

Nota: Además todos los domingos y dias festivos se celebrará una Misa en la Iglesia parroquial de Fornells, otra en el Santuario de Nuestra Señora del Monte-Toro.

SECCION OFICIAL.

VIAJE DE NUESTRO ILMO. PRELADO.

El día 9 de Mayo embarcó en Mahon con rumbo á Barcelona el Ilmo. Sr. Obispo de esta Diócesis. A bordo del *Menorquin* despidieron á S. Ilma. una comision del Ilmo. Cabildo presidida por el Sr. Dean, los Excmos. Sres. General Bermejo, almirante de la Escuadra, y General Gobernador militar de Mahon, los M. Itres. Sres. Delegado del gobierno de S. M. en Mahon, Comandante de Marina, Diputado á Cortes por Menorca y demás autoridades y numeroso gentio. Acompañaba á S. Ilma. el Rvdo. D. German Ubeda Pbro., su mayordomo y capellan de honor. Desde Barcelona continuaron su viaje hasta Roma llegando á la Ciudad Eterna el miércoles día 12.

El día 17 del pasado mes fué recibido el Ilustrísimo Sr. Obispo por Su Santidad en audiencia particular. Estuvo largo rato conversando con el Papa, quien se mostró muy cariñoso con él y con su capellan de honor. Presentóle con esta ocasion las ofrendas del amor filial y profunda veneracion de sus amados clero y diócesis, las que fueron recibidos por S. Santidad con visibles muestras de satisfaccion. El Papa autorizó á S. Ilma. para bendecir solemnemente á sus diocesanos en Mahon y en Ciudadela en un dia festivo despues de la Misa.

Durante los dias que ha permanecido en Roma nuestro Ilmo. Prelado ha trabajado sin descanso en activar la solucion favorable de algunos asuntos de su amada Diócesis, y no ha perdonado medio para conseguir las muchas gracias con que ha favorecido á sus diocesanos, mereciendo grande estimacion las preciosas reliquias que ha adquirido para la Santa Iglesia Catedral entre las cuales las hay algunas verdaderamente notables.

El día 6 de los corrientes llegó de regreso de Roma al puerto de Mahon, recibéndole á bordo del *Ciudad de Mahon* las autoridades de dicha poblacion. Con motivo del solemne triduo de Cuarenta Horas que en aquellos dias se celebraba en la Iglesia parroquial de Santa Maria de dicha ciudad, ocupó la sagrada cátedra Su Ilma. dando con ello mayor esplendor á aquellas solemnidades.

El día 8 se trasladó desde Mahon á Ciudadela. Salió á recibirle una comision del Ilmo. Cabildo que acompañó á S. Ilma hasta la puerta de la Catedral, en donde esperaban á su Amado Prelado los demas Sres. Capitulares y el Rvdo. clero, y una comision del Ilmo. Ayuntamiento. Entró el Ilmo. Sr. Obispo, seguido de todos ellos, en la S. I. Catedral, y despues de orar breve rato S. Ilma, se cantó una hermosa Salve á la Virgen, en accion de gracias, por su feliz regreso á la diócesis. Terminada la Salve dió

nuestro Prelado su bendición á los allí presentes y trasladose acompañado de ellos á su Palacio.

SECRETARÍA DE CÁMARA.

BENDICION PAPAL.

En virtud de las facultades extraordinarias recientemente concedidas por S. Santidad el Papa Leon XIII á nuestro Ilmo. y Rvdmo. Prelado, S. S. Ilma. el Obispo mi Señor, ha dispuesto bendecir solemnemente al pueblo en nombre de Su Santidad y conceder indulgencia plenaria y remision de todos los pecados á los fieles que verdaderamente arrepentidos y habiéndose confesado y recibido la Sagrada Comunión, se hallaren presentes al terminar cada una de las Misas de Pontifical que, con el auxilio de Dios, celebrará, respectivamente, en la Santa Iglesia Catedral el dia de la festividad del Santísimo *Corpus-Christi*, y en la Iglesia parroquial de Santa Maria de la ciudad de Mahon el dia de *dominica infra-octava de Corpus*.

Para que llegue á conocimiento de todos S. S. I. lo hace saber á sus amados diocesanos, encargando á los Sres. Curas de Ciudadela y de Mahon y á los de los pueblos inmediatos á dichas ciudades que lo comuniquen á sus respectivos feligreses, á fin de que puedan aprovecharse de gracia tan singular.

Ciudadela 10 Junio de 1897. — DR. JOSÉ JOVER, PBRO. SCRIO.

NOTICIAS.

En la Iglesia de san Agustin celebraron ayer los Sres. Profesores y alumnos de este Seminario Conciliar la función que anualmente dedican al Angel de las Escuelas, Santo Tomás de Aquino. Asistió á dicha función nuestro Ilmo. Prelado, oficiando en la Misa el Sr. Rector, M. I. Sr. Dr. D. Antonio Villas, canónigo Lectoral y predicando un hermoso panegirico el profesor de Retórica Rdo. D. Sebastian J. Sampol de Palos, Pbro.

Mañana fiesta de la Santísima Trinidad, predicará en la Santa Iglesia Catedral el Ilmo. Sr. Obispo.

Ha sido nombrado misionero apostólico el Rvdo. Sr. D. German Ubeda Pbro., Capellan de honor y mayordomo de S. Ilma.

Tambien ha sido honrado con igual distincion el Rdo. Sr. D. Jaime Tutzó Pbro.

Enviamos á ambos señores nuestra cordial enhorabuena.

DINERO DE SAN PEDRO.

Nuestro Ilmo. Prelado aprovechando la ocasion de su viaje á Roma entregó personalmente á Su Santidad 2.500 pesetas como limosna recolectada entre el Clero y fieles de la Diócesis de Menorca para aliviar las necesidades de Su Santísimo Padre. Por esta razon principiamos nuevamente la suscripcion para el Dinero de San Pedro y publicaremos en todos los números los donativos que la piedad de los fieles destine para dicho objeto.

Suscripcion para el Dinero de San Pedro.

	<i>Ptas. Cents.</i>
Ilmo. y Rdmo. Sr. Obispo	200'00
Muy Iltre. Sr. Dean por Enero, Febrero y Marzo	30'00
» » » Arcipreste por id. id. id.	24'00
» » » Arcediano por id. id. id.	24'00
» » » Chantre por id. id. id.	24'00
» » » Maestrescuela por id. id. id.	24'00
» » » Penitenciario por id. d. id.	24'00
» » » Lectoral por id. id. id.	24'00
» » » Serra Canónigo por id. id. id.	18'00
Suma	390'00

Suscripción para la Basílica de Santa Teresa de Alba de Tormes.

Ilmo. y Rdmo. Sr. Obispo	50	ptas.
Sr. Secretario de Cámara	5	"
M. I. Sr. D. Antonio Villas	5	"
Sr. D. José Roca, Pbro.	2'50	"
Sr. D. Francisco Calafat	2'50	"
Suma	65	"

ACADEMIA DE CIENCIAS MORALES Y POLÍTICAS.

Hemos recibido el programa para el concurso ordinario de 1889 que abre esta Real Academia en cumplimiento de sus estatutos. Las condiciones son las mismas de los años anteriores y omitimos dar cuenta de ellas por faltarnos el espacio para ello y ser, por otra parte, conocidas de nuestros lectores.

El tema para este concurso es el siguiente: *Bases de una buena legislacion de seguros, retiros y pensiones para obreros, en los casos de muerte prematura, ancianidad invalidez, accidentes y cesacion del trabajo. Limites de la intervencion del Estado en tales auxilios. Ventajas é inconvenientes del seguro voluntario y del obligatorio.*

Tambien abre dicha corporacion un concurso especial para premiar *monografias sobre prácticas ó costumbres de Derecho y de Economía*, sean ó no contractuales, usadas en el territorio de la Península é Islas adyacentes ó en alguna de sus provincias, localidades ó distritos. El plazo para la presentacion de los trabajos escritos para este concurso espirará en 30 de Septiembre de 1898.